



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**AntiLutherus Judoci Clichtouei Neoportuensis. Doctoris
Theologi, Academiae Parrhisie[n]sis**

Clicthove, Josse

[Köln], 1525

VD16 C 4189

Qvid Chr[ist]ian[a]e lib[er]tatis no[m]i[n]e, itide[m] & eccl[es]iastic[a]e,
designat[ur] apud Luther[um], & affectatores eius. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36183

IUDOCI CLICH-

TOVEI NEOPORTVENSIS, DOCTO-

ris thelogi, Antilutherus; tres libros continens. Quorū pri-
mus, libertatem Christianam, quam astruit Lutherus;
euertit. ecclesiasticasq; leges recte constitutas esse;
& cuiq; obseruandas, edocet.

¶ Quid Christianæ libertatis nomine, itidem & ec-
clesiasticæ: designatur apud Lutherum, &
affectatores eius.

Caput I.



IN HOC OPERE, TRIPLI-
cem impietatis Lutheranae assertionem
adiutore deo oppugnaturi, tanquā muni-
tionem trifidam, contra sanctā dei eccle-
siam (ut prefati sumus) erectam: primum
libertatis, non Christianæ (quemadmodū
appellat Lutherus) sed penitus antichri-
stianæ, funestam arcem adoriāmur oportet:

quod ex ea, tela uenenata iaculetur hostis improbus in quod-
uis hominū genus, & quālibet uitæ conditionem professos: ut po-
te in laicos, in sacerdotes, & in religiosos. cum pestiferis suis suasio-
nibus inducere cunctos molitur in hanc sententiā: ut tanq̄ pullos
onagri, se liberos natos putent, nullisq; regulis ecclesiasticis subie-
ctos. non satis memor uerborū beati Petri apostoli, admonētis sa-
lubriter in deū credentes: q̄ uiuant quasi liberi, & nō quasi uelamē
habentes malitiæ, libertatē: sed sicut serui dei, quandoquidē Lu-
therana libertas (uti sequens ostendet sermo) magnū est malitiæ
uelamē & adumbratio: sub pietatis prætextu in omnē prorūpens
scelerate agēdi audaciā. Quod ut paulo dilucidius euadat: quid no-
mine libertatis suæ Christianæ insinuare uelit aduersarius noster,
in ipsa presentis libri fronte ante omnia adaperiendū est. ¶ Itaq; li-
bertatē Christianā uocat Lutherus: laxiorē uiuendi, sine cōstitu-
tionū ecclesiasticarū obseruatiōe: licentiā. q̄ eas dura seruitute po-
pulū Christianū premere causetur, & graui iugo indigne onera-
re: præter Christi legislatoris nostri institutū. A quo qdē iugo ut
nos eximat (uti ait) Lutherus: libertatem hanc, quæ descripta est,
a
altisona

Iob 11.

1. Petri. 2.

LIBER PRIMVS

altifona tuba prædicat, amplectendâq; proponit. Similiter euâgelicam libertatē appellat; effrenatâ uitæ conditionē, cū sola eorum obseruatione quæ sacrū euangeliū aperte continet; ceterorūq; omnium ab antiquis patribus institutorū repudiatiōe, q̄ hæc omnia dicitur, euangelicā illā libertatē in seruitutē detrudere: & dulcius

Mat. 11. go Christi (ad quod super nos tollendū: dulciter ab eo inuitamur)
 11. prorsus aduersari. ¶ Verū sub nominibus istis speciosis, pulchrisque uocabulis (libertate in quā Christiana, & euāgelica) Luther⁹ tetrū occultat uit⁹, letaleq; toxicū. ut eorū imagine ac pulchritudine capti; inuitentur ad iurandū in uerba ipsius, incautiq; inescētur hamo in capturam iacto, & hauriāt exitiale uenenū. Haud aliter q̄ qui rebellionē excitare molunt in bonū ac legitimū principem, aliosq; ad defectionē sollicitare: se p̄ libertate populi, iniqua (ut aiunt) principis dominatione oppressi decertare iactitant, siocq; molimine bonū rei publicæ curare. ut hac specie uirtutis & umbra (libertatis scilicet popularis, & boni publici) inducant aliorum animos in suas partes; & in suæ factionis consortiū pelliciāt. Eodē plane astu Lutherus, capitalis ecclesiæ & insensissimus hostis, seditiofam exuscitare parās discessionem totius populi christiani à regula & obseruatione ecclesiastica, ut multos alliciat in suarū partium cōmunionē: suam improbitatē obuelat sub dolos ac adūbrat nomine libertatis christianæ nec non & euangelicæ, ut audito libertatis (quod ab omnibus optari solet bonū: summopereq; expeti) nomine: confluant certatim omnes ad ipsius uexilla, & ascribatur eiūsdem militiæ. ¶ Nimirū persimilis Hieroboā regi Israēl, hoc in opere uidet Lutherus, qui ut sui regni populū auerteret à ueri delcultu, in templo Hierosolymitano secundū diuinā sanctionē exhibendo: constituit duos uitulos aureos in regni sui finibus, unum in Bethel, & alterum in Dan, ad quos adorandos: prætermisso deo, confluere populus Israēliticus. Certe libertas christiana Lutheri & euangelica, modo descripta: duo sunt idola, & uituli aurei, ab eodem ad decipiendū orbem christianū erecti, speciē quidem honesti in propatulo præferentes: sed intus teterrimā occultantes animarum pestem. Quandoquidem libertas ipsius christiana, quam tāto opere prædicat: nihil reuera aliud est, q̄ durissima sub iugo peccati seruitus, ex inobedientia in deū & ecclesiā enascens. Eiūsdem quog;

3. Regū. 12.

quoque libertas euangelica, uero nomine captiuitas **B**abylonica debet appellari. quod per eam abducatur homines captiui in ciuitate diabolicae confusionis: carceremque peccati. ¶ **V**idetur idem uidetur eodem in negotio **L**utherus homo uersutissimus, eodem uafra mento: quod **M**ahumetes ille **A**rabs & pseudopropheta, ad seducendum totum orbem iam olim excogitauerat. Ille siquidem, ut permultos haberet suae legis (cuius se lator a deo missum: impudentissime est ementis) sectatores, carnalium uoluptatum illecebras (quod ad eas propensius aguntur omnes, ferunturque praecipites) permisit illis, ut puta uxorum multitudinem, arbitrariam earum repudiationem & repudiatarum recocitationem: & denique paradisum post huius uitae incolatum cum **C**herinto, quaecumque corporis uoluptate subministrant, affatim suggerentem. Haud dissimili ingenio, eodemque satanico spiritu ac patre medicij afflatus **L**utherus, quaecumque in ecclesiasticis constitutionibus graui uidentur ac dura, quaecumque secundum carnem ambulantes abhorrent prorsus sub titulo libertatis christianae sustollit. utpote ieiuniorum obseruantiam, abstinentiam ab esu carniū statis determinatisque diebus, confessionem sacramentalem ac satisfactionem, dierum festorum celebrationem, caelibatum sacerdotum, monasticorum uotorum stabilitatem, & caetera id genus. ut ita laxatis per indulgentiam habentibus: quos plurimos impellat in suae factionis approbationem & sententiam, qui secum ab ecclesiae signis desciscant. ¶ **N**on itaque persuadeat sibi quisquam, **L**utherum ipsum, esse **D**anielē alterum: cuius dominus suscitauerit spiritum ad totius ecclesiae directionem, & rectam diuinarum scripturarum interpretationem. ut partium eius studiosi de ipso confingunt: & passim inuulgant. quemadmodum quondam suscitasse legitur dominus spiritum pueri iunioris, cui nomen **D**anielis. **D**aniel. 13

ad detegendam seniorum iudicum calumniam in **S**usanna innoxiam & ad ipsam a morte immerita liberandam. **F**uit namque hic **D**aniel antiquus, uerus domini propheta, sanctitate uitae eximius, diuinisque reuelationibus mirifice illustratus: atque a deo missus ad synagogam Iudeorum in captiuitate detentorum consolationem ac confortationem. **N**ouus autem iste (ut sui uocant) **D**aniel, uidelicet **L**utherus: omnino ex opposito pugnat cum priore. quod totis uiribus enititur sanctam dei ecclesiam subuertere: & leges omnes ecclesiasticas, suscitata graui coniuratione, rescindere. ¶ **P**ro suorum igitur morum **V**I.

LIBER PRIMVS

qualitate, nō Daniel nouus denominari debet Lutherus: sed potius alter Hismael. q̄ consentanea est uitæ eius ac studiorū conditio, ijs quæ angelus domini denūciauit Agar matri Hismaelis: cū necdū æditus esset in lucem. Hic (inquit) erit ferus homo. manus eius contra omnes, & manus omniū contra eū: & è regiōe uniuersorū fratrum suorū figet tabernacula. Quanta nēpe sit Lutheri feritas atq; ferocitas: liquido patefacit grauissima perturbatio, quā p̄ impialua dogmata suscitauit in ecclesiā dei. Manus itidē eius: contra omnes ecclesiæ præfides, sanctos patres, & scriptores ecclesiasticos (quos arrogāter aspernatur) est erecta. & manus omniū, de ecclesiasticis institutis recte sentientiū: merito contra eū extendit. Deniq; idē è regiōe uniuersorū fratrum suorū christianorū fixa tabernacula hæreticæ prauitatis: cū suæ impietatis uexillū erexit in medio nationis Christianæ, & perversitatis suæ castra palā fixit: in quibus militet cōtra populū dñi. Demū sicut prior Hismael persecutus est Isaac filiū Abraæ, ex repromissione natū: ita & hic secundus Hismael insectatur inimiciter populū dei, secundū spiritū atq; ex regeneratiōe prognatū, quē admodū res ipsa satis superq; indicat: neq; aptiore indiget testimonio. Quocirca cauere sibi debent omnes: ne in illi^o tabernaculis deliteāt, aut signa eiusdē funesta sequantur. ¶ Verūtāme hic noster Hismael: patrem Abraam nō habet, cuius sincerā fidem imitetur. longe alia ei est generatio: si morū illius qualitatē attendas. Nā ut proauos illius & atauos taceamus: auus illi est Ioannes Viclefus, pater: Ioannes Hus, & frater germanusq; Hieronymus Pragēsis, q̄ in exuscitādis dogmatibus hæreticis: horū triū sit propemodū æmulus & affectator. Nēpe sicut ex Viclefo, uiperina propagine surrexit Ioannes Hus: pestilētem illius doctrinā pene sopitam reuocans in auras, ut ex conciliū Constantiensis octaua sessione & decimaquinta: necnō ex Martini quinti, summi pōtificis decreto apostolico, utriusq; horū cōdenatorio, liquido constat. ita ex Hussitana hæresi, primū Hieronymus Pragensis, in 21. eiusdem conciliū sessione damnatus prodijt: ut infauista soboles, & demū nostra tēpestate Martin^o Lutherus, infelix foetura, ex eodē processit Hussitanæ impietatis ouo, mores omnino paternos referens, eademq; oris lineamenta. Sed hæc progenies est uiperarū: generatiōq; praua & adultera. Viclefus, Hus

Gene. 16.

Gala. 4.

VII.

Ioannes Vi.

clefus.

Ioannes hus

Hieronym^o

Pragensis.

Martinus Lu

therus.

Huius Lutherus: auus, pater, nepos: cuiusque fidelium summopere fugienda.
 ¶ Nonnulla Lutheri dicta: quibus suam astruit libertatem Christianam, in hoc libro improbanda.

Ca. II.



Erunt ne gratis & citra rationem, hæc de Luthero modo adducta dixisse uideamur: opere precium est in præsentia afferre aliquas eius assertiones & uerba, quæ de promunt illam suam libertatem Christianam, quam tantopere extollit: ut ea demum à nobis com-
 modius retulerentur, ne quis etiam fortasse nos insimulet calumnie & falsæ in eum criminationis: quodque ascripserimus illi infandos errores, quos nunquam ipse asseuerauerit aut disseminauerit. ¶ Itaque I. in libro suo, de libertate Christiana inscripto, in primis sentit Lutherus, pontifices & primarios ecclesiæ pastores nullam habere auctoritatem constituendi sanctiones ecclesiasticas: à populo Christiano obseruandas, illasque prorsus abijci debere: tanquam leges tyrannicas, humeris subditorum impositas. Eius uerba sunt hæc. Fortiter resistendum est magistris traditionum, & leges pontificum acriter uituperanda: quibus in populum dei grassantur, & laqueis suarum traditionum eos captiuant: immo impij illi tyranni suis legibus illum tenent captiuum: qui tamen nihil iuris habent condendi eas leges, hæc ille. ¶ Insuper II. illorum quæ ecclesia suis constitutionibus fieri iubet, obseruationem: nihil ad iustitiam homini prodesse, astruit Lutherus, neque illorum prætermissionem: inducere reatum peccati aut dispendium salutis. Et id quidem, hoc uerborum schemate. Constat nullam prorsus rerum externarum (quocumque censeatur nomine) aliquid habere momenti ad iustitiam aut libertatem christianam: sicut nec ad iniustitiam aut seruitutem parandam. Nihil profuerit: si corpus sacris uestibus more sacrorum ornatur, aut locis sacris uersetur, aut officijs sacris occupetur, aut oret, ieiunet, abstineat certis cibis, & faciat quodcumque per corpus & in corpore fieri potest. Longe alia re opus erit ad iustitiam & libertatem animæ. cum ea quæ dicta sunt, geri possint à quouis impio, nec his studijs alij quam hypocritæ euadant. E diuerso nihil oberit animæ, si corpus uestiatur prophanis, edat, bibat communiter, non oret uoce, omittatque omnia quæ superius dicta fieri poterunt. hæc ille. ¶ Rursum, idem ea quæ in euangelio continentur aperte, sola esse III. Christiano populo ad salutem necessaria ac sufficientia subinsinuat.